

1572

tam contundendi hostis opportunitatem cunctatione labi sicut
 nat : imminere tempus , quo foederatæ classes conveniant :
 magna hucusque gesisse ; in coeptis instet ; ni afflantis fortu-
 næ aura utatur , præclaros ingentium rerum orsus concidere ,
 partam laudem obscurari , atque corrumpi : imperum itaque
 istum animi ad gloriam augeat ; quod plerique incassum Re-
 ges concupiverant , immanissimi orientis tyranni , ejus auspi-
 ciis , potentia vel infringatur , vel minuatur . Tum ad ea ,
 quæ inter ipsum ac Venerium acciderant , sermonem flectens ,
 nihil Senatum Venetum unquam avidius , quam de eorum
 concilatis animis nuntium excepisse , inquit : rogare , ut si
 quid ob eam rem amarius illius pectori insederit , id Sena-
 tui , id christianæ reipublicæ condonatum velit . Austriacus
 cum ad reliqua pro Reipublicæ dignitate , seque nihil , quod
 ad instruendam classem attineret , ut constituto tempore iti-
 neri se committeret , prætermisurum polliceretur , respondis-
 set ; tum de Venerio , inquit , imperatore , id pro certo sibi
 Senatus suaderet , omnem prorsus præteritarum rerum memo-
 riam oblivioni se mandasse ; optime nosse , non malo ani-
 mo Venerium esse : ceterum , ut in posterum proficiatur ,
 monere ; rem immensi prope ponderis ac momenti esse ;
 vereri acre hominis ingenium , ac , ne illo imperante , res
 in eadem , ac fortasse graviora incommoda relaberentur ,
 timere . Hæc remissius ab Austriaco dicta . Verum , iis ,
 quæ ea in re Romæ a legatis Venetis agitabantur , cogni-
 tis , vehementer commotus , irasci , fremere , potius onus
 sibi delatum abjecturum , miscerique omnia permissu-
 rum , quam vel minimum de suo jure ac dignitate dece-
 deret .

*Joannes
Austriacus
parum in
Venerium
propensus.*

Hæc cum ad Senatum perferrentur , nemo ex Patribus erat ,
 qui non temporum conditionem , atque undique assurgentia
 impedimenta conquereretur . Hispanos tantos sibi spiritus su-
 mere , ut eorum arbitrio magistratum delectum petere non eru-
 bescerent ? Cur civem , in quo plurimum consilii ac roboris
 expertus fuisset , cuius immortalia in patriam merita extarent ,
 invito Senatu , magistratu abdicare juberent ? Nullam aliam
 in Venerium infensi Hispanorum animi causam esse , nisi quod
 acerrimus patriæ majestatis vindex extitisset : quo exemplo ,

qua